disceptandi causam dedere, tum de partim lem hactenus velitatione avidè expectabo.
Doctissimo Tuldeno, si amare me non desiit, quin et si desierit, salutem dico. Wendelinum cum rubore nomine, turpissimi silentii reus, ad binas, ut opinor literas, quibus nec reminisci audeo, quamdiu est, quod me compellaverit. Salveat tamen et valeat, multâque scriptione saeculi, et saeculorum σφαγματα castiget, corrigat, sarciat.

(267).

Puteano.

Læter ego doleamne geri lachrymabile bellum Indubio est. doleo quod Erycius hostis amanti est; sed nisi bella forent, nunquam tibi cognitus essem. Ordior Poetae verbis, Eryce Puteane, vir excelse, quod in meis non reperio, quibus quid belli infortuniis debeam, quae te mihi amicum tradidere satis exponam. Benè vero sit divo Marti etiam pertinaci et cruento, quamdiu quidem materiam mihi et argumenta suggestat is, quibus quodammodo apud te, inutilis eluam amicitiae notam. Iusto igitur tuo, mi Puteane jam rusticanti, ut ais, quod post Varronem perlegas, hic habes, ut quod bonâ fide cœpit etiam publicâ facere perseveret, quin quod ~~sonniis~~ futurum, et securius etiam, perenni, ut ex tenore diplomatis observas. Hujus videndi copiam, ut quam paucissimis ~~faciat~~ neque nisi necessitate adductus faciat serio a te contendo, si qui enim hoc exemplo munire se praesumpserint, molesti nobis, sibi nihil profuturi sunt. Non est mihi credo, quae a te postulo ornandi muneris ad ostentationem conquisita cautio, utriusque interest ut cum Horatii corvo sapiamus, habiturum plus dapis, et quos sequuntur. Porrò his omissis, quâ in palaestrâ te praeter Varronianam illam publicam exerces? quid saeculo destinas aeterne scriptor? facito me, obsecro omnium certiorem, atque ad epistolam item quam in castris dedi, responde ὄψέ γοῦν ποτε, si me amas. de suppresso epigrammate nihil est quod excuses. nullâ potiore fortunâ dignum scivi. satis est constitisse, quanti te faciam vernaculum Poetam quod est plurimi. De caetero non sum nescius, quam prudenter instituas, adversus flumen publicum non obniti, μήτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι. neque is sum ego qui a te exactum velim quo ab hoc consilio discedas bellatum ungueme. charior es Batavo mihi quam tibi,

quâ

quâ in verissimâ assertione desino, vir summe, et cum amplissimo Tuldeno literatissimo Iuris consultorum atque ut hic profiteri soleo, ut multum dignuê valeas opto. Verissime Tuus.

23° Dec: 1638. C. H.

Zuerio Boxhornio.

Clarissime Boxhorni (268).

Prorsus mihi tuo calamo opus est, si expectas ut edisseram quantopere me affecerit, longè venustissima dissertatio quam de somnijs ad Iuventutem vestram habuisti, calamo inquam tuo; quo non aliâ doctius, elegantius vivacius usus es. nisi quod a capite ad calcem porrò excitatus, paulò ante exordium dormitasse videris, inscriptâ nomini meo nobilissimâ lucubratione, quasi is ego sim, à quo lucem illa mutuari vel possit, vel necesse habeat. Quem errorem quamdiu non fateris et exuis, scito te hoc Leidæ agere, quod in Masinissæ Regiâ fecit Scipio ille quidem tuus. Cur enim inquit Philosophus meus, Vitia sua nemo confitemur? quia etiamnum in illis est. somnium narrare vigilantis est. Expergiscere itaque, et vigil foedum ac capitale mendum, saltem paenitentiâ dele quâ licet, factum quod est, infectum fieri non posse fatear, iusto nihilominus, ut a simili te olim istis tuto deterream, suadeamque si quid ejusmodi, ut suspicari facis, in animo habeas, perituræ parcere chartæ, μὴ γένοιτο, ut scriptum est τὰ ἔσχατα tru: Amicitiæ enim meæ, si cujus illa pretii est, nullam, ne sic quidem, facturus es jacturam. Etenim dignissimus quies ab omnibus amari, a me hoc præcipuè et constantissime hoc fieri statue. neque his lenociniis egere multo solidiori argumento nixum affectum virtutis nimirum tuæ, et in ætate nondum satis virili maturissimæ eruditionis. Vale vir Amplissime et hanc partem operis Bredani cujus editionem avidè expectamus nimium penes me latuisse boni consule. 1639.

D: Heinsio, licet nuper a nobis discesserit, salutem verbis meis dici postulo, dignatus est inspicere et adhuc servat Poematis Vernaculi exemplar Manuscriptum, quod hactenus suppresseram

Si quid